

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 98. (Neovidensis 1807. Nro. 97.)

Sermo Politicus.

De Charactere nationali Germanorum.

Elysium-Meum. - Die Martis. 15. Dec. 1807. (Neov. I. Dec.)

S e n t e n t i a.

Nullum unquam tempore alia gens erga exterram aliam tam justa fuit; quam tu; nimium noli indulgere Juri; neque enim tam nobilis iis sensus inest, ut perspiciant erroris tui elegantiam.

Cel. Klopstok de patria Germania.

Ex postremi cum Borussia belli tempore personabant ex Septentrione undique voces: *Princeps Germaniae pars, Borealis regio est. Jam vero lamentantur, & gement iidem viri fortes, & dolent: nihil de Germania prater linguam relictum esse.*

Verum quidem est: patriam nostram per partes debellatam esse, nunquam Unione virium coaluit; at at: num eapropter desinimus Germani esse? an, quidquid excellens, ac decorum apud nos fuit, idcirco interit, demto Germanico idiomate? Hi Domini boreales subito ex horreo, ut fert adagium, labuntur in cellam; elata voce vehebantur verbisque

sesquipedalibus ante bellum, jam vero omnē, quod bonum, in præceps agere & desperatorum more asserere: *Actum, conclamatum est* —

Hoc quidem nimium. Sunt nobis certi gentiles mores, & consuetudines; indoli nationali propriae. Sinceritas, candida sentiendi ratio, mutua germana probitas, & sexcentæ patriæ virtutes socialis vitæ nostræ notae sunt morales, ab aliis quoque gentibus agnitæ; vere non omnes degeneravere Germani! Quæ regio pluribus gaudet artificibus & opificibus? qui — in ipsa Anglia, & Gallia quærentur, — ubi plus fidei, æstimatio boni nominis inter cives, proin major honestas domicilium habet, quam in Germania? quamquam opibus non affluamus, tamen jucundo sat animo vivimus, quippe: non opes beatam Civitatem reddunt, non moraliter bonam efficiunt; moderatus, limitibus septus bene habendi status id certius procurat, conditionemque privati securam, commodamque facit. Sola paupertas animum obtundit, atque enecat, divitiæ contra fastum generant, renitentiam; desidiam, luxuriam, quæ tamen primi omnis moralis ruiæ fontes esse probatum est. Hac ex ratione quivis populus precē Deum interpellet. — Divitias, & paupertatem non deris nobis, sed largire moderatam portionem!

Ubi diligentia, ibi probitas; ubi solertes homines degunt, animus tranquillus, quies, & beatitudo reperitur. Id genus beati populi in Germ. nostra frequenter videtur, & in modicis tuguriis candor animi & cordis simplicitas communis virtus est, cui ita jam assevimus, ut nemini in

mentem veniat, de ea gloriari. Quibusvis gentibus jus & meritum damus, prout celebris vates in memorato textu adnotavit : „*Nullo unquam tempore ulla gens erga exteram tam justa fuit, quantum — noli nimium indulgere Juri.* —

Eventus, & notæ virtutis in patria nostra obtinere, quas vix noscimus, quasque aliæ nationes asservavere; en sequens argumentum!

Anno 1769 C. a Stainville notabili gallico agmini cum imperio præfuit, ei obversum consistebat numerosa hostilis cohors, quam in ditio-
ne *Valdecensi* ad Abbatiam quamdam clade adfecit; aggressio & defensio multos absumpsit, victoria tamen Gallos mansit; ditio devastata est. Adjutor Comitum a Stainville *D. a Stadler* parti copiarum præibat, pabulandi equos gratia, forte in via obvium habebat colonum, ex quo sciscitatus agrum hordeo refertum ubi reperire posset; renuebat indicare viator, tandem minis adactus ad prodicionem faciendam. *D. a Stadler* colonum ducem secutus usque dumetum, juxta quod hordeo repletum reperit agrum, quia a colono indicium factum fuerit; tum impetus in miserum factus, cur agrum hordeo refertum non revelaverit? substitit aliquantulum senex subjinxitque hæc verba, „*Domine! hi agri contribulium meorum sunt, isthic in distantia aliquot passuum ager meus est, dato mihi falcem, qua ex meo quanto opus habes, demetam*” *D. a Stadler* aliquantum abstulit, verum quasi virtute senecionis stupefactus omnem quam secum habebat ei porrexit pecuniam. — O virtus! ipsi hosti æstimabilis! profecto hic colonus *Valdecensis* dignior fuisset

monumento, quam omnia devastantes tot heroes, & hoc monumentum posteros Germanicæ virtutis admonuissst; verum — Germani id scriptis non adnotarunt, peregrinae paginæ: (*Journal de lecture Paris 1776*) historiam hanc texunt.

Id genus germanicæ benevolentiae argumenta certe in novissime terminato bello plura edita fuerint, quæ fortassis tenebris involuta usque relinquuntur, dum pacatiora tempora illuxerint. Eorum profecto germanica indoles nationalis inviolata adparebit.

Ast quando *pacatiora tempora* illucebunt? *Anglia* imperio marium decedere, sævumque e manibus suis Tridentem dimittere renuit; Tractationes, quas *Russia* ad conciliandam *Galliam* inter & *M. Britanniam* pacem ordi tentavit, ab hac haud acceptatæ videntur; namque jam jam sequens gravis argumenti legitur dispositio.

Riga die 11. Nov. Hodie mane 11. hora ad hujas Teloniale Officium Petropoli mandatum expeditum: nulla ratione ulli navi quocunque sub vexillo etiam fuerit, veniam merces onerandi dandam esse; omnesque naves, quæ intra quadriduum non movent portuque & mari continentur, sub custodiam accipiendas esse; Causa hujus dispositionis ignoratur, operæ admodum fervent, multoque conatu naves expediuntur; quæ isthinc solvunt, etiamsi dimidiam saltem, aut quartam ordinariæ onerationis partem habeant.

Secundum ultiores nuncios Anglicanus Collonellus *Wilson* Petropolim adpulit, probabiliter cum ultima Anglicanæ aulæ declaratione; ejus adventus in postremos Octobris dies incidit, quem mox memorati mandati Rigam expeditio excepit.

Ut primum Russia etiam adversus Angliam se declarat, ejus defensionis rationes eum finem habebunt: ut Sveciam ab Anglicano nexu abstrahat, ingressumque Anglicanarum navium in fretum Sundicum prohibeat; Jamjam Dania ita male tractata omnibus ad eum finem viribus contendere parata est; exercitus 26000 armatorum in Insula Selandia erigitur, dena Danicorum remigum millia, quæ ab exteris oris adventant, advocantur. Prædatoriæ naves exstruuntur, et si Svecica Classis Russicæ combinata fuerit, viribus sufficiunt, ad Anglicanas naves freti Sundici majoris & minoris ingressu prohibendas. Portugalliam omnes maritimos portus suos Anglis præcludere nuncii ex officio fidem faciunt; quid igitur Anglis in continente superest? nihil, ut paginæ Manhemenses loquuntur, demta sola *Gibraltaria*, verum & hic apex Europæ periculo objectus est; ipsæ Anglicanæ paginæ anxietatem metumque manifestant; quippe litteris de 10. Nov. significant: copias Gallicas cum hispanicis jungendas, arcemque hanc obsessuras; regimen nostrum multos milites, cum comætu, & penu bellica navibus imponendos curavit eo cum mandato: ut quamprimum *Gibraltariam* transfretent. — Spe ducimur futurum, ut ministri nostri mitiores reddantur,

quippe nupero die Domini nuncium adhuc Petropolim expedivere, qui cum gravissimi argumenti litteris (pacis) instructus est. Nuper in Americam borealem expeditus *D. Rose* id mandatum habere dicitur: Americanis plene liberam navigationem & commercium sub ea conditione: ut omni cum Gallia commerciali nexui renuncient, nomine M. Britanniae offerendi; verum hæc oblatio vix acceptabitur, quod ei hoc facto omnes Europæos portus præcludere debeat; quid postmodum proderit libera navigatio?

Ex dilecta nobis Germania sequentia ex Officio ad nos delata.

Lipsia die 21 Nov. Quotidie præsens usque tempus traductus numerosarum Bavaricarum copiarum revertentium experti sumus, quæ hic & in vicinia noctem egerunt: at interjectis vicibus majora, jam minora agmina occurrebant, quæ duabus & quinque Centuriis constabant, & ad complementum magni exercitus progrediebantur. — Hesternæ meridiæ cohortem Hussarorum conspeximus Parisiensis Turmæ prætorianæ ab magno exercitu reducem. -- Exacto jam traduæ Regiarum Bavaricarum copiarum expectamus in hac urbe, et regione die 24. h. m. 60 Centurias M. Principis Badensis; 25a. 27 Centurias Hassiacas, quæ hic quietis diem exigent; die vero 27. 450 viris constantes Vinienses copias, & 800 Gothaenses in reditu isthac præterituræ sunt.

Die 17. p. m. Regius Borussicus Generalis Excub, Præfectus Chlebowski Memeliæ

Et febris nervosa ætatis anno 55 supremum diem obiit.

Stuttgarda die 29. Nov. (Articulus Officiosus) Postquam Sua Regia Majestas de adventu suarum Majestatum, Regis, & Reginae Vestphaliæ in hodiernum diem defixo, cæniis reddita fuisset, missus est supremus Regius stabuli Magister Comes *Görlitz* Pforzheimium, ad salutandam ibidem utramque Majestatem. In Limite Regni, ad quem Minister Negotiorum internorum Comes ab *Ernfels* eundem in finem se contulit, Arcus Triumphalis erectus est; Supremus Stabuli Magister Comes a *Görlitz* obtulit suis Majestatibus Regia Carpentaria, in quibus deinde eodem in Comitatu illius, unius Stabuli Magistri, duorum itinerariorum Stabuli Magistrorum & duorum Regiorum Prætorianorum latus Carpentarii stipantium, item unius Cohortis legionis venatoriæ, quæ nomen Regis præfert, quæque *Schviberdingæ* a Cohorte Regiæ Prætorianæ turmæ venatoriæ suppleta est, inceserunt. Porro ad Comitatus accesserunt Regii bellici Centuriones, supremus Venator Magister, & rei venatoriæ Officiales, a limite suorum districtuum inchoando, usque eorum terminum illi curritus, hi equis incedentes. Advenientibus suis Majestatibus ad ædes viæ publicæ, & urbis nostræ limitem, tormentorum explosioni initium datum est, quæ centum ultra continuabatur vicibus, eadem ratione advenientibus suis Majest. ad semitam Ludovicopolitanam, usque ingressum in Urbem festivus Campanarum sonus audiebatur. Juxta portam regiam, Magistratus Civium

in pegmate congregatus fuit, cujus Princeps brevem, ad suas Majestates, quæ quinta Vespertina isthic feliciter pertigerunt, Orationem habuit; cui Eadem admodum comiter respondebant. Ad eandem portam opperiebatur Suas Majestates Præfectus Urbi, Proprætor, Regius Generalis Adjutor, & unius agminis Adjutor, Carpentum Suarum Majestatum ad Regiam usque prosecuturi; per totum viæ tractum, quæ collustrandi gratia, Ahenis picerepletis exornata fuit, festivo in apparatu consistebant duæ cohorte Militares Regiæ Prætorianæ Loricorum Legionis, tres Cohortis regiminis venatorum, quod a rege nomen habet, utrumque agmen Principis Coronæ Neoburgensis, una centuria agminis venatorii regii, ac denique Regia Prætoriana pedestris Militia, explicata serie, quæ prætereuntes Majestates festivis signis exceperunt. Carpentis descendentes ad vestibulum Regiæ, ambæ Majestates, a Serenissimo Coronæ Principe, Ducibus & Principibus Domus Regiæ, pleno Ministrorum Collegio, & Regia Aula exceptæ sunt, atque in Conclavæ Regiæ, in quo excelsi Hospites a Sua Majestate Rege & Regina benevolentissime exceptæ sunt; & iisdem Regia Familia præsentabatur. Post aliquantulam quietem Regiæ Majestates præcedente Aulicorum turba, ad præparata pro se Conclavia deductæ sunt, & postmodum Aulici dimissi. Vespere omnes Majestates in Conclavibus Regis majoris Palatii cœnabant tanquam una Familia, Comitibus vero Regis Vestphaliæ in societate advocatorum ad Aulam, in consuetis tricliniis cœna reficiebantur.